

tudinem; quia hæc vim aliam non habet, nisi auctoritate Principis illam adprobantis, aut permittentis: poterit ergo Princeps eadem auctoritate illam reprobare. R. 2. si in lege apponatur clausula, *non obstante quacumque consuetudine*, intelligitur reprobari consuetudo præterita in contrarium, non vero futura. Quod si clausula reprobatur consuetudinem futuram, adhuc esse probabilius putant Salmant. Suarez, & alii, eam legem abrogari posse per consuetudinem. R. 3. per legem generalem non derogari consuetudine speciali alicujus loci, nisi in lege fiat mentio illius consuetudinis, vel in ea fiat mentio *cujuscumque consuetudinis*; quia præsumitur Princeps ingnarus talis consuetudinis, ut habetur in c. 1. de consuetudine in 6. Si vero Princeps certior factus de consuetudine legi contraria, velit tamen servari legem, censetur revocare consuetudinem. Hinc Episcopi legibus abrogatur contraria consuetudo, quia præsumitur plenam habere notitiam consuetudinum suæ Diocesis.

26. *Quæst. 9.* An per clausulam revocantem in genere quacumque consuetudinem, intelligatur revocari consuetudo *inmemorabilis*? Nego; nisi exprimatur; quia cum Superior vult illam revocare, id exprimit. Salmant. Suarez, Garcia, qui plures affert declarationes S. Congreg. Potest autem una consuetudo abrogari per aliam contrariam, quæ repetitis actionibus præscribatur.

27. In fine nota; cum lex est dubia, eam interpretari potest consuetudo: hæc autem inter-

pretatio vel est autentica, quæ sit veluti nova lex; vel est probabilis, cum consuetudo præcedit, vel subsequitur legem; lex enim non intelligitur derogare consuetudini antecedenti, nec consuetudo legi, nisi expresse opponantur. Et ad hanc consuetudinem probabiliter interpretandam minus tempus requiritur, quam ad præscribendam consuetudinem, quæ legi adversetur. Debet autem lex interpretari juxta loci consuetudinem, ut DD. tradunt.

Ad calcem hujus capituli affertur a Ligorio dissertatio super prop. 29. damnata ab Alex VIII. quæ asserebat: *futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis R. supra Conc. Œcum. auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infalibilitate*. Quam consulto omittimus, ut in re, quæ ad morum doctrinam non est omnino necessaria, Epitomes brevitati consulamus. *V. edit. Rom. 1767.*

CAPUT III.

De acceptance, & obligatione legis humanæ.

28. *Quæst. 1.* An lex obliget independentem ab acceptance? Certum est, peccare populum, legem justam non acceptando. Constat ex prop. 28. damnata ab Alex. VII. *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam* Ratio est, quia etsi lex non recepta obligationem non induceret, Princeps tamen jus habet, ut subditi leges suas justas recipiat. Dubium est: an natura legis

pendeat ab acceptatione populi, ita ut ipsa non liget, donec a populo acceptetur. Atque hic etiam distinguendum est inter leges Ecclesiasticas, & Civiles. Quoad 1. certum est, S. Pontificem obligare posse fideles ad observandas suas leges independenter ab earum acceptatione, cum extra dubium sit, eum non quidem a populo, sed a Christo D. potestatem recepisse ferendi leges ad bonum commune Christianorum. Idem dico de Episcopis, qui vel immediate, vel saltem mediate potestatem a Domino acceperunt. De legibus Civilibus dicemus infra.

29. Quæritur ergo, an lex, ubi non exprimitur, velle Principem obligare independenter ab acceptatione, obliget ex se ante populi consensionem? 1. sententia negat, quam tenent ut plurimum Canonistæ, cui TT. non pauci subscribunt. Probant autem. 1. ex c. 3. dist. 4. §. *legis*, ubi habetur ex S. August. *leges constituuntur, cum promulgantur; confirmantur, cum moribus utentium applicantur.* 2. ratione; videntur enim leges ferri sub ea conditione, si populus acceptet, alioquin vim non habituræ. Idque postulare videtur suave regimen populorum, ut omnis perturbatio caveatur. Quod locum habet præcipue in legibus Ecclesiæ, ideoque plura sunt decreta Pontificia, quæ certe non obligant quia sunt recepta. Ita Cabassut. Theol. Jur. lib. 1. c. 4. n. 5.

30. Verior tamen sententia, cui non subscribimus, affirmat tam de lege Ecclesiastica, quam Civili. Ratio est, quia obligatio legis oritur ex potestate Principis, quam habet ad con-

endas leges independenter a populo; est autem potestas præcipiendi, & obligandi legis observantiam, cui respondet in subdito obligatio parendi legibus, quibus si justæ sint, nequeunt subditi sine culpa resistere. Ad textum S. August. respondetur, leges per acceptationem confirmari facto, non jure. Ita Salmant. Ad rationem allatam dico, in legibus talem conditionem non intelligi, nisi a legislatore exprimat, præsertim cum legislator sæpe urgeat, & cogat subditos ad legem accipiendam, & servandam. Neque id opponitur regiminis suavitati, quæ stat in eo, ut nimis dura, ac difficilia non jubeat, nec ea, quæ receptæ consuetudini adversentur.

31. Hinc dicunt multi, legem non obligare ante acceptationem 1. si dura nimis sit, ac difficilis, nimirum cum per epikeiam possit judicari, Legislatorem nolle in illis circumstantiis observantiam urgere. 2. si contraria sit antiquæ loci consuetudini, intellige, cum eadem limitatione. 3. si lex fuerit abrogata, per consuetudinem a majore parte populi. Porro ad præscriptionem sufficit decennium in lege Civili, ut supra dictum est. Non ita convenit inter DD. de præscriptione ad leges Ecclesiasticas, ad quas abolendas multi requirunt præscriptionem 40. annorum, & probant ex cap. *de quarta* & c. *ad aures* de præscr. Quamvis alii probabiliter ajunt, sufficere decennium, & textum interpretentur de præscriptione jurium, & bonorum immobilium, quæ non veniunt nomine legum Ecclesiæ. 4. si mayor, & sanior pars populi legem

non admiserit; quamvis enim peccent primi, legem non acceptantes, si desuetudo non sit præscripta; ceteri tamen non peccant, cum Princeps præsumatur, nolle eos cogere ad observandum, quod non est a majore parte populi receptum. Denique si populus a lege Principem appellet, & supplicet pro revocatione; nam si princeps populi supplices voces audiat, nec observantiam urgeat, legem revocare censetur; secus vero, si instet pro legis observatione.

32. *Quest. 2.* An & quomodo Legislator humanus præcipere possit sub peccato?

R. 1. Principes tum Ecclesiastici, tum sæculares præcipere possunt non modo sub pœna, sed etiam sub culpa, eaque gravi, aut levi prout rei præceptæ quantitas, & eorum voluntas exigant. Constat ex fide: nam 1. Petri 2. dicitur: *subjecti estote omni humanæ Creaturæ propter Deum, sive Regi sive ducibus... quia sic est voluntas Dei.* Paulus ad Rom. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo Principes possunt ferre leges, quarum observatio obliget in conscientia.

33. R. 2. Ut lex obliget, debet esse honesta, justa, & possibilis, ut inter omnes convenit. Graviter autem obligat, si materia præcepti gravis sit, & mens præcipientis sit, subgravi obligare. Imo

etsi materia in se sit levis, fiat autem gravis ex circumstantiis, v. g. contemptus, scandali, magni boni communis. Sic abstinentia a pomis in paradiso, in se quidem parva, gravissima tamen erat ex circumstantia finis, ut notat Suarez. Hinc Prælatus sub gravi præcipere potest id quod in se est leve, si id ad bonum communitatis, vel ad cavendum malum graviter conferat. De cetero, extra hos, vel similes casus nequit Superior rem levem sub mortali præcipere; quod si præcipiat, subditus non obligatur sub culpa gravi; est enim contra justitiam, rectamque rationem onus grave imponere conscientiæ pro re omnino levi; neque ipse Deus sub mortali obligat in materia, sub omni respectu parva.

34. R. 2. Potest superior in materia gravi obligare tantum sub levi. Ita communior sententia, & probabilior contra alios. Ratio est, quia in legibus obligatio taxatur, a legislatore juxta finem intentum, ad quem expedit aliquando levem tantum obligationem imponere, etiam in materia gravi. Sicut potest quis votare sub levi in quacumque materia, etiam gravissima, ut docet S. Antoninus. Utrumque enim dependet a potestate, & nutu voventis, & obligantis, aut legem ferentis. Non est autem opus, ut Legislator expresse dicat, velle se obligare sub gravi, quando res est de se gravis, ut graviter obliget. De mente enim ejus potest fieri judicium ex gravitate verborum legis, ex adjuncta pœna transgressori, & ceteris.

35. *Quest. 3.* An leges pœnales obligent ad

culpam, an solum ad pœnam? Nota: alia est lex mere pœnalis, quæ nullum imponit præceptum, v. g. *Qui hoc fecerit, solvet pœnam*, & hæc non obligat in conscientia, etiamsi pœna sit gravissima. Hinc leges oppidorum, sub pœna prohibentes cæsionem lignorum, piscationem, venationem, cet. non obligant sub culpa; sic enim fert consuetudo. Salmant. Navarr. & communiter TT. Alia est lex non pure pœnalis, seu mixta, quæ & præcipit & pœnam injungit, v. g. *Nemo hoc faciat sub pœna*, cet. Dico 1. lex præcipiens sub pœna suspensionis, interdicti, irregularitatis obligat sub gravi; quia sunt pœnæ spirituales, & quidem gravissimæ, quæ ut plurimum incurri nequeunt sine peccato gravi. In gravi autem materia mens præcipientis, nisi constet oppositum, videtur esse gravem imponere obligationem. Ita Suarez, Bon. Salmant. contra Cajet. Valent. & alios. Quod si tales pœnæ sint ferendæ sententiæ, alii affirmant obligare graviter; alii probabilius negant, nisi exprimaturs censuram incurri *sine alia monitione*; vel nisi materia sit ex se gravis AA. adducti.

36. Dico 2. leges assignantes pœnam temporariam, simulque præcipientes, non solum obligant ad pœnam; verum etiam ad culpam. Est contra Navar. Cajet. & alios; quia hoc est discrimen inter legem mere pœnalem, & mixtam, quod illa pœnam tantum imponit, hæc præceptum adjungit; quo præcepto censetur Superior velle ad culpam obligare, ne frustra præcipere videatur.

37. Rogabis, an incurratur pœna ante ju-

dicis sententiam? De pœnis quidem spiritualibus, quando imponuntur *ipso facto*, non est dubium. Idem dico de pœnis privantibus, v. g. voce activa, & passiva, si reus eas subire possit sine infamia, aut aliud non ferat consuetudo particularis. Adde: nisi pœna consistat in privatione alicujus juris acquisiti, puta Beneficii, electionis, cet. tunc enim semper requiritur declaratio juridica vel pœnæ, vel saltem criminis, idque etiam si pœna imponatur *ipso facto incurrenda, nulla expectata declaratione*; quæ verba, ut in lege pœnali, benigne sunt interpretanda, ita ut licet non sit expectanda declaratio pœnæ, non excludatur declaratio criminis, ut pœna reo injungatur. Sic hæretici licet bonis suis *ipso jure* priventur, non tenentur bona tradere ante sententiam judicis. Less. Soto, Sanch. Salmant. alii.

38. Quod vero de pœnis privantibus est dictum, potiori jure dicendum est de positivis, quæ imponunt onus positivum, v. g. restituendi aliquid, aut patiendi, ut docet D. Th. 22. q. 62. a 3. Idem de legibus, quæ privant beneficiis jam obtentis ratione simoniæ, alienationis bonorum, cet. ubi opus est declaratione judicis. Esset enim lex homini nimis ardua ea, vi cuius reus ipsemet in se ipsum pœnam exequi deberet. Pœnæ autem inhabilitantes obligant ante sententiam judicis, ut est pœna imposita a Trid. non residentibus fructus non lucrandi, & aliæ similes. Item pœnæ conditionales, v. g. ut habens Beneficium curatum, si non ordinetur Sacerdos intra annum, beneficio privetur *ipso fa-*

cto; ut Clericus beneficiatus non deferens habitum, ipso facto privetur beneficio fori.

39. *Quæst. 4.* An poena conventionalis in contractibus solvenda sit ante sententiam? Affirmant Suarez, Molina, alii, quia quisque tenetur ante sententiam pactum observare. Negant vero Navarras, Lessius, Vazq. cum aliis & quidem æque probabiliter ajunt Salmant., quia sentiendum est, contrahentes non aliter velle sibi imponere pœnam, quam justa dispositionem juris circa leges pœnarum, quæ non nisi post sententiam contrahuntur. Profecto reus tenetur post sententiam ad pœnam; sed non tenetur ad solvendam pecuniam, nisi ab alia parte exigatur. Imo si pœna sit nimis dura, ultra sententiam requiritur præceptum judicis, ac Ministrorum executio.

40. *Quæst. 5.* Utrum obliget in conscientia lex, requirens aliquam conditionem sine qua irritat actum; ut lex irritans testamentum sine solemnitatibus, & lex irritans alienationem bonorum Ecclesiæ sine Capituli consensione? 1. sententia negat, eo quod tales leges fundantur in præsumptione fraudis, quæ tunc non adest. Ita sentiunt Navar. Covarrub. aliique apud Salmant. Secunda sententia affirmat, quia leges hujusmodi non modo nituntur in præsumptione fraudis, sed etiam in periculo illius, quod semper adest. Ita Sanch. Pal. Salmant: utraque opinio est probabilis, secunda vero probabilior.

41 *Quæst. ultima.* Quando tenemur tollere impedimenta, vel ea non apponere, quæ obstant adimpletioni legis? Nota 1. nunquam licet ap-

ponere impedimentum impletioni legis naturalis; Deus enim præscribens nobis aliquid, ut auctor naturæ, simul prohibet id, quod cum impletionem rei præceptæ conjungi nequit. Quæstio ergo est de legibus humanis, quæ non ita rigide nos obligant ad sui observationem. Nota 2. aliud est, quod quis a lege non obligetur, sive ab illius obligatione extrahatur; aliud, quod quis dum lege obligatur, excusetur a transgressione illius. Hinc duplici modo potest quis sese impedire ad observandam legem, vel apponendo causam, qua extrahatur a legis observatione, ut si a loco, ubi præceptum est audiendi sacrum, transeat ad locum, ubi tale præceptum non viget; vel efficiendo opus, quod licet impediatur observantiam legis, non extrahat tamen ab ejus obligatione; ut si die festo discedat ad remotam silvam, ubi sacrum audire nequeat, licet impediatur Missæ interesse, non extrahitur ab obligatione illius audiendæ. Ita sapienter distinguunt Salmant. c. 2. n. 118. & seq.

42. Hinc illi colligunt 1. non peccare excommunicatum, si sacrum non audiat; nam per impedimentum excommunicationis extrahitur ab obligatione audiendi sacrum. Imo censent eum non obligari, etiamsi negligat absolutionem procurare. Probabilius tamen existimo, obligari ad petendam absolutionem, & tollere impedimentum adimpletioni præcepti audiendi sacrum. Colligunt 2. non peccare eum, qui non jejunit, nec officium recitat ob infirmitatem, quam ipse prævidit, & vitare potuit; nec qui die jejunii pedester iter agit, aut multum laborat, ut ex-

cusetur a jejunio. Sed nos omnino contrarium sentimus cum D. Thoma, ut suo loco dicemus.

43. Certe peccati reus est, qui prævidens se occisurum hominem in ebrietate, ab ebrietate non abstinet; vel qui non procurat absolutionem ab Excommunicatione tempore Paschali; urget enim præceptum Communionis, quod in radice est Divinum: sic etiam peccat, qui se inebriat, vel somno indulget tempore audiendi sacri, vel recitandi Officium Divinum: quia illa præcepta jam tunc obligant, nec per eas actiones sese extrahit ab obligatione præcepti. Ita Salmant. ibidem cum communi.

CAPUT IV.

De Subjecto Legis.

44. *Quæst. 1.* Quinam legibus sint subjecti? R. Soli subditi adulti legibus obligantur. Ratio est, quia præceptum cum sit directivum, requirit usum rationis; & aliunde obedientia tantum est eorum, qui subditi sunt legem ferentibus. Hinc deduces 1. ebrii, ignorantes, & ad tempus amentes legibus tenentur, sed a peccato transgressionis excusantur ex defectu advertentiæ rationis, & consensus. Infideles vero, pueri nondum usum rationis adepti, & amentes non obligantur legibus Ecclesiasticis. Hæretici, & schismatici, qui per baptismum Ecclesiæ sunt subjecti, præceptis ejus obligantur.

45. Deduces 2. legislator non tenetur, generatim loquendo, suis legibus, quoad vim co-

activam, & pœnam; indirecte tamen, & quoad vim directivam, & ex æquitate quadam tenetur se tanquam caput membris conformare. Ita D. Thomas, Suarez, & communis. Tenetur etiam in contractibus cum reliquis pari conditione uti. Num vero teneatur sub gravi, an solum sub levi ad servandam legem suam? Alii dicunt, teneri sub gravi, non minus ac subditi teneantur; quia hoc exigit æquitas, officium Principis, & bonum commune. Ita Suar. Vazq. & alii DD. Negant tamen, secluso scandalo, alii apud Salmant. quia solum ex honestate quadam obligatur. Excipe leges de taxatione pretii, irritatione contractus, & his similes, quia in his princeps tenetur æqualitatem observare.

46. Deduces 3. etsi pueri ratione utentes obligentur quoad culpam ad servandas leges, ætati eorum convenientes; non tamen subditiuntur pœnis nisi sint puberes, quales sunt masculi annis 14. absoluto, puellæ 12. Porro lex audiendi sacri, confitendi, & abstinendi a carnibus comprehendit pueros statim ac rationis usum obtinuerint, ac peccant eorum parentes, qui negligunt præcepta hujusmodi ab illis adimpleri. Ad communionem vero minime tenetur ante decennium, nisi in articulo mortis, si usus rationis adsit. V. La-Croix lib. 3. p. 1. n. 615. An vero ad ea præcepta servanda obligentur pueri, qui ante septennium usum rationis habeant? Sunt qui negent, eo quod præceptum positivum ea tantum respicit, quæ ut plurimum evenire solent. Sed contrarium probabilius censent Suarez, Navarrus, Salmant. alique per-

multi; quia Ecclesiae leges obligant omnes, qui ad annos discretionis pervenerint, si earum materia illorum aetati congruat.

47. Deduces 4. infantibus, infidelibus, & perpetuo amentibus licet carnes exhibere veritis diebus edendas; sicut & licet in diebus festis opera servilio injungere; quia ad leges Ecclesiae non tenentur. Contra vero non licet ebriis, cum legi maneant subjecti. Hinc nec licet, ebrios, aut amentes irritare ab blasphemandum, laedendum, cet. qui talis actio tribueretur agentis principali, qui illorum opera uteretur, ut instrumento.

48. *Quaest. 2.* An peregrinus teneatur legibus illius loci, ubi habitat? Ante solutionem notandum est 1. praecipuum aliud esse locale, quod scilicet certo tantum loco, urbe v. g., vel parochia obligat; aliud universale, sive juris communis, quod totam tere Ecclesiam obligat. 2. peregrinos proprie dici eos, qui aliquo veniunt animo non ibi permanendi, sed tantum ibi subsistendi per aliquod tempus, vel per minorem anni partem. 3. distinguendum esse domicilium a *quasi domicilio*. Domicilium acquirit aliquis, dum habitat alicubi, animo perpetuo permanendi; censetur autem hunc animum habere, qui habitat alicubi per decennium, non significata voluntate recedendi; vel qui majorem partem facultatum illuc asportaverit, aut domum emerit, vel aedificaverit ad habitandum; vel qui saltem voluntatem ibi perpetuo manendi expresse significaverit. Ille autem acquirit *quasi domicilium*, qui manet in aliquo loco per

majorem anni partem, vel qui ibidem moratur per aliquod tempus notabile cum animo ibi manendi majori parte anni, ut sunt ancillae, studiosi, operarii. His praeractis, veluti fundamentis...

49. R. 1. Quicumque in aliquo loco domicilium, vel *quasi domicilium* contraxit, subicitur legibus illius loci. De habentibus verum domicilium nulla est dubitatio, quum subditi sint illius loci. De iis, qui solum habent *quasi domicilium* negat Glossa in c. *quae contra* d. 8. & alii apud Sanch. eo quod nemo fiat subditus alicujus loci, donec in eo verum domicilium acquirat, saltem per annum ibidem perpetuo manendi. Communis tamen sententia docet, sufficere *quasi domicilium*. Ita S. Anton. Sil. Suarez, qui oppositam putat practice improbabilem. Ratio est, quia illi certe subiciuntur jurisdictioni Superiorum illius loci; ergo & loci illius legibus obligantur. Et quidem jam tum a prima die, qua illuc perveniunt animo habitandi per majorem anni partem, ut recte notat Sanch. cum aliis.

50. R. 2. Peregrinus, qui in oppido aliquo per breve tempus moratur, absque animo ibidem commorandi, non tenetur leges illius loci observare. Est sententia probabilior, quam tueretur S. Antoninus, Card. Toletus, Azor, Layman, & alii: tum quia leges non obligant nisi subditos, quales non sunt peregrini, qui ob brevem illam moram non subiciuntur jurisdictioni illius loci, ut habetur lege *haeres absens*, tum quia moraliter loquendo, non dicuntur morari in aliquo loco, qui ibi non manent, nec

Tom. I. 7

habent animum ibidem diutius manendi. Limitatur hæc doctrina 1. si ex legis transgressione oriatur scandalum. 2. si leges sint de jure communi, vel circa solemnitates contractuum, aut circa commoda ipsius loci, v. g. de non extrahendo triticum, arma, cet. 3. si peregrinus, ibi delinquat contra Jus commune; tunc enim fit subditus illius loci ratione delicti ex cap. *finali de foro compet.* Atque in hoc sensu intelligenda sunt testimonia D. Ambrosii, & Augustini, quæ adversarii adducunt, quorum sententiam probabiliter defendunt Covarruvias, Suarez, Lessius cum aliis.

51. R. 3. Non tenentur absentes ad leges patriæ, ex cap. *Ut animarum de Const. in 6.* etiamsi lex sit de jure communi, modo peregrinus sit in loco, ubi lex abrogata est. Idem dico, si maneat in patria, sed in loco exempto; quia lex, seu præceptum locum illum non respicit, nec personas in eo commorantes. An vero pro loci exemptis intelligatur etiam domus Regularium? Negant Suarez, Con. & alii, qui exempta solum intelligunt oppida, & Ecclesias intra diocesim, alienæ jurisdictioni subjectas. Sed affirmant Salmant. & alii valde probabiliter, cum tam loca, quam personas Trident. exemptas appellet Sess. 14. c. 5. de reform.

52. Unde si Episcopus sub pœna Excommunicationis vetet lusum alexæ, non incurrunt excommunicationem ludentes in loco exempto a jurisdictione Episcopi. Si quis die jejuni, aut festo sit in loco, ubi jejunium non est, aut festum, potest ibi comedere, exercere servilia.

Idque habet locum in præceptis juris communis, ubi abrogata sint, aut non sint recepta, aut habeatur privilegium. Quare potes v. g. Mediolani primis quatuor diebus Quadragesimæ vesci carnibus; in Belgio Sabbatis intra Nativitatem, & Purificationem. Si quis accedat ad locum, ubi Tridentinum non est receptum, potest quidem valide contrahere matrimonium clandestinum, non tamen licite. Imo ne valide quidem, si ex loco, ubi viget Tridentinum, eo tantum animo discedat, ut clandestine nubat in loco, ubi lex Tridentini non viget. Ita declaravit Congreg. Cardinalium in brevi ad Archiepiscopum Coloniensem, auctoritate Urbani VIII. confirmato. Ratio autem est, quia *fraus, & dolus nemini patrocinari debent*, ut legitur c. 15. & 16. de rescript.

53. *Quæst.* 3. An discedens e loco domicilii sui, ubi est aliquod præceptum, teneatur illud implere, antequam exeat; v. g. audire sacrum die festo, priusquam iter agat in locum; ubi festum non est. Negant probabiliter Sanchez, Palaus, & Salmant. quia si mansisset in loco, ubi præceptum obligabat, poterat differre usque ad meridiem; cum autem in alium locum accedit, ibi non obligat præceptum. Nec prævidens, impedimentum, tenetur illud prævertere, nisi quando prævidet, se fore impediendum, manente vi præcepti; hic autem ab obligatione præcepti eximitur. Censeo tamen, illum teneri audire sacrum, si illud unum diceretur, antequam exiret, licet non teneatur expectare. Imo nisi grave ipsi obveniat incommodum, expectare suadendus est.

54. *Quest. 4.* An peregrini possint dispensari ab Episcopis loci, ubi sunt, tam in legibus communibus, v. g. jejunii, & abstinentiæ ab opera servili, quam in particularibus, v. g. in voto, & juramento. R. ex communi sententia, peregrinum dispensari posse ab Episcopo loci, modo ibi sit cum animo permanendi per majorem anni partem. Ratio est, quia ex illa diuturna mora contrahitur *quasi domicilium*, vi cuius ille subjacet Episcopi jurisdictioni: ergo sicut obligatur legibus loci, ita & gaudet ejus privilegiis. Neque Episcopus tunc dispensat ratione consuetudinis, aut conniventia Episcopi proprii illius Peregrini, sed ex propria, & ordinaria auctoritate, quam exercet in omnes subditos illius loci, quales sunt quicumque domicilio, aut quasi domicilio perfruuntur. Unde conferre illi potest dispensationem omnium facultatum, etiam quoad Sacramenta, præter Ordinem, ut monet Sanch.

CAPUT V.

De modo, quo servandæ sunt leges.

55. *Quest. 1.* An charitas necessaria sit ad impletionem præcepti? R. neg. nisi præceptum in substantia sua caritatem includat, ut est præceptum amoris Dei. Ratio est, quia tantum præcipitur substantia actus inclusi in præcepto, v. g. ut honore afficias parentes; non vero finis, aut modus præcepti, ut docet S. Th. 1. 2. q. 100. art. 10. De cetero certum est, requiri ca-

ritatem, ut impletio præcepti meritoria sit ex illo ad Cor. 1. c. 13. *Si linguis hominum loquar... nihil mihi prodest.* Unde si quis jejundet, vel sacro intersit ob vanam gloriam, satisfacit præcepto, licet peccet contra naturale præceptum, prohibens illum finem. Simili ratione impletur votum, juramentum, poenitentia Sacramentalis, & similia ex fine vitioso facta, modo finis ille non pertineat ad substantiam præcepti. Nota tamen, damnatam esse ab Alex. VII. prop. istam: *qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Et merito, quia valor Confessionis includitur in substantia præcepti.

56. *Quest. 2.* Quænam intentio requiratur ad satisfaciendum præcepto? R. 1. requiri voluntatem exequendi rem præceptam, quia impletio præcepti est actus humanus; conjunctus cum libertate, ac voluntate operantis, proindeque stare nequit sine animo deliberato agendi id, quod præcipitur. Hinc præcepto audiendi sacri non satisfacit, qui sacro intersit vel dormiens, vel ebrius, vel nesciens quid faciat, vel omnino coactus, quia jam non est actus humanus, & voluntarius. Dixi omnino coactus; quia si famulus, v. g. ex metu domini, vel puer ex timore magistri Sacrum audiat, alias non auditorus, licet ex prava illa voluntate peccet, præcepto tamen facit satis; eo quod metus non tollat voluntarium.

57. R. 2. Ad implendum præceptum necessaria non est intentio illi satisfaciendi. Ratio est quia lex tantum præcipit liberam rei præceptæ executionem, v. g. auditionem sacri, non